Tetschke

EXAMINIS ACTUSQUE ORATORII
SOLLEMNIA
IN
GYMNASIO SUNDENSI

DIEBUS II ET III M. OCTOB. H. A.

PUBLICE CELEBRANDA

HUMANISSIME INDICUNT

DIRECTOR ET COLLEGIUM.

---

1) COMMENTATIONIS DE CRISA S. CIRRHA PARTICULAM CONSCRIPSIT *J. F. G. TETSCHKE*, PH. D.

2) FASTOS GYMNASII COMPOSUIT *DIRECTOR.*

SUNDIAE MDCCCXXXIV.

FORMIS OFFICINAE STRUCKII.

Commentationis
de Crisa sive Cirrha
particula.


Auctore *J. F. G. Tetschkio*, Phil. D.

Singularum Graeciae civitatum res gestas nobis perlustrantibus mirum videri potest, quod de civitate, cujus historiam non parum quidem momenti ad Graecarum gentium mutuas res cum publicas tum sacras habuisse nemo negabit, tam pauca, tam incerta, quin fabulosa atque inter se tam discrepantia ab auctoribus antiquis nobis tradita sint: Crisam (Crissam) dico sive Cirrham. Hujus rei causas has potissimum afferre possumus, quod ea aetas, qua sui juris erat atque opulentia vigebat civitas illa, ad incerta omnino neque firmis historiae monumentis satis illustrata Graecae antiquitatis tempora pertinet, — Graecorumque res non prius quam illius fere belli tempore, quo Crisa deleta esse traditur, clarescere coeperunt: ita ut tunc demum, cum fato suo jam succubuisset urbs, vim magis conspicuam ad rerum Graecarum statum habere coeperit usque ad eam aetatem, qua Graeciae civitates Romanorum Imperatorum modo clementia umbra quasi libertatis fruebantur. — Crisaeorum porro historiae tenebris quibusdam involutae non exigua causa est, quod et Herodotus et Thucydides — in Graecorum rebus tradendis principes — ne verbo quidem urbis bellique mentionem inferunt, caeterique praeterea auctores, apud quos commemorantur, in transcursu tantummodo hoc faciunt. Nemo tamen ex hoc principum auctorum silentio argumentari velit, omnia, quae illi omittant, levia omnino minorisque momenti fuisse: (sic apud Thucydidem Amphictyonum etiam nomen frustra quaeras, quorum auctoritatem Graecorum in rebus publicis satis magnam fuisse nemo nescit!) quod praeterea refutatur affatim iis Graecorum rebus gestis, quarum causa in bello, quod primum sacrum

dicitur, potissimum quaerenda est. Tum ex ipsa belli Crisaei historia patet, hoc Amphictyonum, quibus praecipuum fuit rerum omnium judicium, consilio solemni, omniumque igitur Graecorum consensu esse susceptum: nam belli causa fuit ea, quae ad cunctas Graeciae gentes maxime pertineret, cum ad templi oraculique Delphici religionem atque integritatem, quae Amphictyonum concilio praecipuae curae erant, restituendam eorumque, qui ad oraculum consulendum proficiscerentur, incolumitatem servandam spectaret. Eo accedit, ut Crisa diruta Crisaeorumque terra Pythio Deo dedicata, sacrae terrae determinatio, quam inter adjacentes civitates plus semel discordiarum causam praebuisse scimus, usque ad posteriora Romani Imperii tempora summa cum religione severitateque observaretur: quod cum ex rerum sequentium narrationibus, tum ex antiquis monumentis illas res illustrantibus *) intelligitur: — denique, quod summum est, Pythicorum certaminum instaurationem Pythiadumque rationem cum Crisaeorum civitatis interitu arctissime conjunctas videmus.

Quamobrem neque indignum, neque inutile mihi visum est susceptum, omnia quae ad accuratam urbis Crisae cognitionem pertinent, quantum quidem partim ex antiquis auctoribus, partim e recentiorum scriptis erui possent, colligere atque componere: praesertim cum et singuli tantummodo viri docti (inter quos cum eruditione, tum eximio ingenii acumine insignes, A. Boeckhius atque C. O. Muellerus) iique in transitu adhuc rem tractaverint: — et cum Boeckhii, Viri laude mea longe superioris, praeceptoris quondam mei summe venerandi consilio olim excitatus Phocicarum rerum studio aliquot jam per annos me dederim. Quoniam vero propter temporis angustias subsidiorumque inopiam totam commentationem jam nunc in lucem proferre mihi non licuit, hancce De Crisae initiis nominisque origine speciminis loco particulam describendam curavi: jamque vero, ut hoc fragmentum lecturis non prorsus displiceat, velim.

*) Cf. duas Inscriptiones Delphis repertas in Boeckhii Corp. Inscriptt. Graec. T. I. No. 1711. A et B editas: ubi de sacrae terrae finibus docte diserteque disputavit V. C.



Vetus Crisa (vulgo et Crissa) sive Cirrha (ἡ Κρῖσα, Κρίσσα, Κίῤῥα) — haec enim unius tantum urbis nomina fuisse censeo — cum portu suo sita erat intra Phocidis fines, Delphis LX. stadia [1]) distans ad Africum, eo loco, ubi Plistus fluvius (ὁ Πλεῖστος, hodie Sikaliska sive Scilalitza [2]) per vallem a Parnasso decurrens huncque a monte Cirphi (ἡ Κίρφις, nunc Zimeno [3]) alveo suo sejungens, per planitiem in eam denique maris Crisaei sive sinus Corinthiaci partem effunditur, quae a nonnullis scriptoribus κατ' ἐξοχὴν sinus Crisaeus (nunc sinus Galaxidiensis vel Salonensis) nominabatur [4]). — Urbis et portus reliquiae auctore Gellio Britanno hodie prope pagum, quem Graeci recentiores Ξηροπηγάδι [5]), i. e. fontem siccum appellant, inveniuntur, $1\frac{1}{2}$ fere milliaria German. sive duas horas distantes a pago Castri (Delphis), quod cum Pausaniae auctoritate consentit [6]). — Crisae adjacebat campus Crisaeus (τὸ Κρισαῖον sive Κιῤῥαῖον πεδίον), ab urbe caurum versus usque ad Amphissam Locrorum (nunc Salonam, cujus portus

---

[1]) Pausan. X. 37. §. 4. et ibi Siebel. — Strab. IX. p. 418. Casaub. habet „ὀγδοήκοντά που σταδίων;“ (cf. Meurs. Lectt. Attic. II. 2.) Suidas et Harpocrat. v. Κίῤῥα et Κιῤῥ. πεδίον XXX stadia: sed Pausaniae auctoritas praeferenda. — Crisae Latitud. 37° 30′; Long. 50° 15′: C. O. Mueller Orchom. p. 499.

[2]) Wheler Itiner. Dalmat. Graec. etc. T. II. p. 353. vers. Gall. Antwerp. 1698. — Poucqueville Voy. en Grèce T. IV p. 47: „ Maintenant apellé fleuve de Crissa.“ — De Plisto cf. Paus. 8. X. 8. §. et Strab. l. l. Dodwell. in Itinar. T. I. l. p. 250. Vers. Germ. fluvium accurate describit.

[3]) Strab. IX. p. 418. Casaub. Dodwell Itiner. Craec. T. I. l. p. 253. Vers. Germ. Wheler (Itiner. T. II. p. 605.) Cirphin a recentioribus Stiva nominari tradit. cf. Kruse Hellas II. 2. p. 10.

[4]) Strab. VIII. p. 336. Casaub: Ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀντιῤῥίου μέχρι ἰσθμοῦ θάλαττα κ. τ. λ. quem ad loc. cf. Mannert. Tom. VIII. p. 152. imprimisque Groskurd. Strab. Vol. II. p. 11. not. 3. Kruse Hellas II., 2. 18.

[5]) Gell apud Kruse Hellas II. 2. p. 49. Gellii librum ipsum nondum adire potui!

[6]) Vid. Tabulam geographicam agri Crisaei et Delphici delineatam a. C. O. Muellero, adjectam Pindari editioni a Dissenio comparatae, simul cum tabulae explicatione.

Chalaeon, hodie Scala) extensus: de fertilitate egregia non modo auctores veteres, sed etiam recentiores peregrinatores sunt testes [7]. — Ab urbe maritima Crisa, cujus ager etiam delubrum Pythium olim complexus sit (Homer. Hymn. in Apoll. Pyth. v. 443.), distinguendum esse pagum, qui nunc Criso dicatur, eo loco situm, ubi Hippodromus Pythicus fuerit convallisque Plisti angustior in campum Crisaeum patescat (Pausan. X., 37, 4. Sophocl. Electr. V. 730. (Tauchn.) Schol. Pind. Pyth. VI., 4.), jam monuit C. O. Muellerus [8]: quibus partim refutantur, quae Krusius (Hellas II., 2. p. 52.) attulit. —

Sed de situ urbis haec hactenus: de caeteris geographicis rationibus ad rem pertinentibus alio loco nobis disputandum erit.

De Crisae origine incerta tantummodo referri possunt, cum in antiquissima fabulosaque Graeciae tempora recedat. — Apud Homerum dicitur *ζαθέη*, divina sive religiosa: vel a templo illustri Cereris (*Δημητρείῳ*), quod in ea fuisse perhibent, ut Eustathius tradit, vel tanquam sacra Apollini [9]: qua ex re urbem belli Trojani aetate jam claram fuisse colligi potest. Conditam esse Crisam Hecataeus apud Eustathium pluresque Scholiastae [10] a Criso sive Crisso tyranno tradunt, quem Phoci filium, Aeaci nepotem fuisse scimus. E Psamathe enim Nereide Aeaco natus est Phocus [11], cujus filii ex Asteria sive Asterodia (Asteropea secundum Apollodorum) Deionei Phocensium regis filia [12] erant fratres gemini Crisus et Panopeus, qui in matris utero jam altercati esse dicuntur [13]. — Ex hac veterum auctorum traditione, quamvis mythica, hoc quidem intelligatur,

---

7) Strab. IX. l. l.: τὸ *Κρισαῖον πεδίον εὔδαιμον.* Sophocl. Electr. v. 180.: *ὁ τὰν Κρῖσαν βούνομον ἔχων ἀκτὰν* — Dodwell. Itinerar. Graec. I. 1. p. 210 et 218 vers. Germ. — Pausan. et Britannus Chandlerus in Itinerar. Graec. p. 387. vers. Germ. illam fertilitatem celebratam quidem negant: sed post Crisam deletam campum colere fas non erat: et Chandlerus Dodwelli aliorumque auctoritate refutatur. cf. Kruse Hellas II. 2. p. 12. 13. —

8) Tabulae geograph. Explicatio in Pindari editione a Dissenio comparata.

9) Homer. Il. *β*. 520. Eustath. ad h. l. Hymn. Homer. in Apoll. v. 433. cf. Mueller Dorier. I. p. 210. — De Apollinis, Dianae et Latonae fano, quod Cirrhae erat [illegible] cf. Paus. X. 37. §. 6.

10) Eustath. l. l. Schol. min. ad Hom. Il. II. 520. Schol. ad Eurip. Orest. v. 33. Tzetz. ad Lycophr. v. 1070.

11) Hesiod. Theog. v. 1003. Apollodor. bibl. III. cap. 12. Segm. 6. §. 9. Schol. Pind. Olymp. VIII. v. 39. Nem. V. v. 12—15. Tzetz. ad Lycophr. v. 175. etc.

12) Schol. ad Hom. Il. v. 520. Tzetz. ad Lycophr. v. 53. Paus. II. 29. §. 4. Apollod. I. cap. 9. 5. 4. §. 2. —

13) Tzetz. ad Lyc. v. 939. et Schol. min. ad h. l.

Crisam Aegineticam coloniam (Paus. X., 1. §. 1. Muell. Aeginet. p. 23.), Crisaeos igitur antiquissimos sicuti caeteros Phocidis incolas Aeolicae gentis fuisse [14].

Phocidem, imprimisque eam partem, quae circa Tithoream et Delphos ~~sita~~, nomen suum accepisse sive a Phoco, *Ornytionis* ~~sive~~ seu *Ornyti* Corinthii filio, Sisyphi nepote, sive a Phoco Aeaci filio, discimus e Pausania [15]. Illum Ornytionis filium C. O. Muellerus (Aeginet. p. 23. not.) ut tempore aequalem, ita omnino eundem cum Phoco nostro Aeaci filio fuisse existimat, quod satis firmis argumentis stabiliri posse censet. Equidem tamen hanc V. C. sententiam omnibus partibus sequi non ausim, cum non desint alia veterum testimonia eaque non prorsus spernenda, quibus illos, etiamsi aetate fere aequales, diversos tamen fuisse probari possit: quare haec res digna quidem videtur, in quam paullo accuratius inquiramus. Ad ea enim, quae Pausanias tradidit, accedunt alia, e quibus hocquidem intelligi potest, utriusque Phoci originem imprimisque *progeniem* diversam haberi jam a nonnullis, et prioribus et posterioribus Pausania auctoribus. De Phoco Aeaci filio ejusque filiis Criso et Panopeo omnia veterum testimonia satis consentanea eaque firma esse mihi videntur. Quod autem ad Phocum Ornytionis sive Ornyti filium attinet, hunc a Sisypho originem duxisse tradit primus Scymnus Chius [16]) dicens: Ἑξῆς δὲ Φωκεῖς, οὓς δοκεῖ συνοικίσαι Φῶκος, κατελθὼν μετὰ Κορινθίων προτοῦ. *Γενεαλογεῖται* δ' *Ὀρνύτου* τοῦ *Σισύφου.* Tum sequitur Scholiastes Homeri [17]), qui dicit: Ὄρνυτος ὁ Σισύφου, εἰς Τάμπολιν ἐλθὼν ἐπικουρῆσαι τοῖς αὐτόθι τοῖς Λοκροῖς πολεμοῦσι, καὶ νικήσας, ἦρξε τῆς χώρας αὐτός. οὗ *υἱὸς Φῶκος,* ἀφ' οὗ Φωκέας αὐτοὺς ὠνόμασαν κ. τ. λ. — Deinde tradit Scholiastes ad Euripidis Orestem [18]): Μετὰ δέ τινας χρόνους, Ὄρνυτος ὁ Σισύφου ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἀονίας (h. e. Boeotia) αὐτόσε, καὶ πολεμοῦντας εὑρὼν Ταμπολίτας πρὸς Ὀπουντίους Λοκροὺς περὶ Δαφνοῦντος, συμμαχήσας τε ἐνίκησεν, καὶ ἦρξεν αὐτῶν. Ἐγένοντο δ' αὐτῷ *παῖδες Φῶκος* καὶ Θόας. Ἀλλ' ὁ μὲν Θόας ἅμα τῷ πατρὶ εἰς Κόρινθον ἀπήλασε, Φῶκος δὲ δεξάμενος τὴν ἀρχὴν τοῦ πατρὸς *Φωκέας* αὐτοὺς ὠνόμασεν. — His omnibus ad Pausaniae auctoritam non parvi faciendam additis, non dubitandum mihi videtur, *originem* utriusque Phoci jam ab antiquis auctoribus diversam existimari.

---

[14]) Cf. Beck Welt- und Völkergesch. I. p. 815. seqq. Aeoli Tabul. genealog.

[15]) II. c. 4. §. 3; cap. 29. §. 5; IX. 17. §. 4; X. 1. §. 1; cap. 32. §. 7.

[16]) Perieges. v. 484. —

[17]) Il. II. v. 517. —

[18]) Orest. v. 1087. (ed. Matth.).

De utriusque progenie eandem sententiam apud veteres praevaluisse, ex sequentibus mihi constare videtur. Nam veterum auctorum imprimisque Pausaniae testimonio Phoci Aeacidae filii erant Crisus et Panopeus, quod jam ante memoratum. E Criso natus est Strophius, cujus filius Pylades ex Anaxibia Agamemnonis sorore genitus, quocum Orestes exsul juventutem peregit.[19]). Pyladis filii ex Electra Orestis sorore erant Strophius minor et Medeon[20]). Panopei filius fertur fuisse Epeus[21]), qui ligneum equum, quo Troja capta est, fabricavit posteaque Metapontum in Italia condidisse dicitur[22]). Et hanc gentis, qui Aeacidae sint appellati, omnem posteritatem fuisse tradit Pausanias (II., 29. §. 4.): qui ab eadem stirpe profecti, domo profugi alio commigrarint. Telamonem enim et Peleum, Aeaci filios ex Endeide natos, hunc Phthiam, illum Salamina confugisse res nota est. —

Nunc videamus, quousque Ornyti sive Ornytionis Sisyphidae posteritatem e veterum testimoniis deduci possit. Ex Homero (Il. II. v. 517—18.) Phocensium duces in bello Trojano Schedium atque Epistrophum, filios Iphiti Naubolidae fuisse discimus, de quorum origine ibi haec tradit Scholiastes, dum pergit: Οὗ (h. e. Φώκου Ornytidae) Ὀρνυτίων, οὗ Ναύβολος[23]), οὗ Ἴφιτος, οὗ Σχέδιος (atque Epistrophus, ut ex Homeri versibus patet). Hunc Schedium aliumque ejusdem nominis Perimedis filium minus notum (quem pariter ἀρχὸν Φωκήων vocat poeta) ab Hectore occisos esse constat ex Homero[24]), ejusque et fratris Epistrophi τοῦ ἀνασωθέντος sepulcrum apud Anticyrenses se vidisse tradit Pausanias (X. 36. §. 4.). Idem narrat (X. 4. §. 7.) in Dauliadis terrae parte, quae Thronis nominetur, se herois cujusdam monumentum vidisse, quem alii Xanthippum, alii Phocum Ornytionis filium, Sisyphi nepotem fuisse dicant. — Ex his omnibus igitur patere videtur, Phocum Aeaci et Phocum Ornyti sive Ornytionis filium veterum quidem sententia

---

19) Paus. II. 29. §. 4. Eurip. Iphig. Taur. 916—19. Schol. Eurip. Orest. v. 1233. Sophocl. Electr. v. 42. Meziriac comment. sur les épitres d'Ovide II. p. 258—60. Hanc Agamemnonis sororem alii vocant Astyochen et Cyndragoram: Hygin. fab. 117. Schol. Eurip. Orest. v. 33.

20) Paus. II. 16. §. 5. cf. Muell. Orchom. p. 69. Schol. Hom. Il. β. v. 501.

21) Paus. II. 29. §. 4. cf. Heyne Exc. III. ad Virgil. Aen. II. Simonid. Epigr. ap. Athen. X. p. 456. —

22) Justin. XX. 2. cf. Interprett. ad Vellej. I. 1. Aristotel. de Mirabil. T. II. p. 1099 ed. Aurel. Allob. 1606.

23) Quocum Naubolus Lerni filius a Neptuno genus ducens, in Argonautarum Catal. ap. Apollon. Rh. I. v. 135. non confundendus.

24) Il. XVII. v. 306—10; Il. XV. v. 515—16. ibique Schol. et Eustath. — Perperam ap. Apollod. III. 10. 7. §. 2. Schedius Epistrophi filius dicitur.

diversos fuisse: sicuti duo Aiaces, duo Schedios, duo Eurybatas, Eurymedontes, Naubolos etc. (cf. Schol. ad Hom. Il. l. l.) exstitisse etiam nunc nemo negabit.

At audiatur et altera pars. Quibus argumentis enim duos Phocos exstitisse in dubium vocari potest, haec fere esse mihi videntur. — Primum de Sisyphi posteritate veteres auctores jam discrepare videmus. Plures filii Sisypho nati esse dicuntur, quos vide apud Beckii Welt- und Völkergesch. I. p. 817. Horum unum tantummodo memorat Apollodorus (I. 9. 3. §. 1.), Glaucum [25]); Scholiastes Homeri (Il. II. v. 511): Olmum, Porphyrionem, Athamam; ad v. 517: Ornytum; Scholiastes Apollonii Rhod. (III. v. 1094.) Halmum (i. q. Olmum) et Porphyrionem; Stephanus Byz. (v. Μεταπόντιον) et Eustathius ad Dionysium Perieg. (v. 368.) Metapontum, quem barbari Metabum nominassent, conditorem Metaponti fabulosum. Pausanias denique omnibus locis ante allatis Ornytionem commemorat, procul dubio eundem atque Ornytum: praetereaque Thersandrum, Halmum (i. q. Olmum) et Glaucum cum tribus reliquis [26]): ut omnes Sisyphi filii fuisse videantur hi: Glaucus, Halmus (Olmus), Porphyrio, Athamas [27]), Ornytus sive Ornytion, Metapontus (Metabus) et Thersander: quibus veteres auctores praeter Homerum addunt Ulyssem (ex Anticlea Autolyci filia natum, postea Laertae nupta) [28]). — At Scholiastes ad Homerum (Il. II. 517.) Ornytum et Ornytionem diversos memorat, dicens: Ὄρνυτος ὁ Σισύφου — οὗ υἱὸς Φῶκος — οὗ Ὀρνυτίων, οὗ Ναύβολος, οὗ Ἴφιτος κ. τ. λ. Apollonius Rhod. contra in Argonautarum catalogo Naubolum filium Ornyti, non Ornytionis [29]), a quo patronymicon erat derivandum Ὀρνυτιωνίδης, fuisse docet, Ornytionem igitur filiumque ejus Phocum prorsus ignorare videtur. Scymnus Chius (v. 486.) Ornytum Sisyphi filium, non Ornytionem vocat. Apud Scholiastem Euripidis (Orest. v. 1087.) denique eundem Ornytum vocatum invenimus, quem Pausanias omnibus locis ante allatis Ornytionem dicit. — Quae cum ita sint, apud veteres jam nominum confusionem in Sisyphi progenie tradenda exstitisse intelligimus: atque ex hac mihi quidem constare videtur, Ornytum et Ornytionem unum eundemque fuisse Sisyphi filium, praesertim cum solus Schol. Hom. illos diversos fuisse tradat. —

---

[25]) Homer. Il. VI v. 153. seqq. cf. Hygin. Astron. II. 21.

[26]) De Thersandro Paus. IX. 34. §. 5; X. 30. §. 3; ubi quoque de Halmo; de Glauco et reliquis: II. 4. §. 3.

[27]) Athamas Sisyphi frater quoque dictus: Paus. IX. 34. §. 5. Tzetz. ad Lycophr. v. 107 et 229.

[28]) Sophocl. Aiax v. 190. Eurip. Iphig. Aul. v. 524. ejusd. Cycl. v. 102—4. cf. Tzetz. ad. Lyc. v. 344. etc. —

[29]) Apollon. Rh. I. v. 207: Ἴφιτος Ὀρνυτίδαο Ναυβόλου. Quem ad locum in Scholiis cod. Parisiens. pro Ναυλόχου scribendum est Ναυβόλου, ut in Schol. edit. invenitur. Cf. Apollod. I. 9. 16. §. 8: Ἴφιτος Ναυβόλου.

Quid autem de Phoco, qui apud Scholiasten Homericum medium locum tenet inter Ornytum et Ornytionem, cum hi diversi non sint? Naubolus igitur non Ornytionis, sed Phoci filius esset, cui tamen Apollonii Rhodii testimonium modo allatum repugnat, quod, cum sit antiquissimum, fide maxime dignum esse videtur. Si enim ad alium Pausaniae locum (X. 33. §. 6.) spectamus, ubi Drymaeam Phocidis urbem antiquitus Ναυβολεῖς (quod nomen procul dubio ab illo vetere Phocensium rege Naubolo derivandum est) nominatam esse, incolas autem originem suam non a Phoco Ornyti, sed Aeaci filio duxisse tradit, facile intelligitur, et hoc testimonium satis incertum esse nullamque habere vim ad hanc opinionem, qua Naubolus Phoci Ornytidae filius fuisse traditur. — Neque Scymnus Chius Ornyti filium fuisse Phocum, sed genus tantum ab illo derivasse narrat: ipse igitur hanc traditionem non satis perspectam habuisse videtur. Idem auctor hunc Phocum cum Corinthiacis colonis in terram postea ab ipso Phocidem dictam venisse refert, sicuti Pausanias (II. 4. §. 3.), qui tamen Phocum Ornytionis filium fuisse Thoamque ipsius fratrem natu minorem Corinthi mansisse dicit: a quibus discrepat Scholiastes Euripideus (cf. ante), qui patrem Ornytum ex Aonia ad Hyampolitas jam venisse, tum his imperasse, posteaque cum Thoa filio Corinthum reversum alteri filio Phoco (a quo incolae Phocenses dicti) imperium reliquisse narrat: quocum Scholiastes Homeri in summa rerum consentit.

Quonam igitur convertamur, veterum testimonia discrepantia atque incerta nobis sese offerunt, e quibus vera expediri vix possunt. Praeterea mirum est, quod apud nullum alium antiquitatis auctorem, quod sciam, de Phoci Ornytidae progenie mentio fit nisi in illo Scholiastae Homerici loco, cujus tamen auctoritas valde in dubium vocari potest, cum, ut ante vidimus, nominum confusione laborare videatur: de Phoci autem Aeacidae genere ac posteritate omnia, quae ab antiquis auctoribus traduntur, inter se consentiunt. —

De Naubolo Iphiti patre, quem nemo veterum auctorum Phoci Ornytidae filium fuisse refert praeter Scholiasten Homeri — exstat locus apud Statium in Thebaide VII. v. 354:

Iphitus acer agit genitor, cui nuper ademptus
Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai,
Hospes, adhuc currus, secumque lora tenebat,
Cum tua subter equos jacuit convulsa cruentis
Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix.

Hoc loco Naubolus Hippasides h. e. Hippasi cujusdam filius dicitur, quem vetus Scholion ad h. l. hospitem atque aurigam Laii fuisse tradit: at qui fuerit ille Hippasus, cum plures ejusdem nominis exstiterint — et hic Naubolus, utrum idem fuerit atque ille Homericus nec ne, difficile erit dictu: nam non unum tantummodo Naubolum exstitisse notum est. —

Incertum denique relinquunt Tzetzes et Stephanus Byzantinus [30]), quonam a Phoco terra denominata sit, cum modo dicant, a quodam rege Phoco regionem illam nomen suum accepisse: atque Pausanias alio loco (X. 1. §. 4.) in bello inter Thessalos et Phocenses gesto his tesseram datam esse „Phocum“, gentis auctorem (ἐπώνυμον), quidem tradit; attamen uter ille fuerit, non indicat.

Priusquam autem ad finem pervenimus hujus disquisitionis, quae, quamvis a Crisaeorum rebus nimis fere aberrans, devitanda tamen non erat, de illo bello a Hyampolitis adjuvante Ornyto adversus Locros Opuntios gesto, cujus Scholiastes Euripideus et Homericus (cf. locos ante allatos) mentionem faciunt, non possumus, quin pauca disseramus. — Hoc enim bellum C. O. Muellerus (Orchom. p. 130.) non ad illa mythica, sed firmis historiae monumentis illustrata tempora pertinere censet. Quodnam tamen bellum in V. C. mente fuerit, non indicat. E Strabone [31]) discimus, Daphnuntem, qui portus mari Euboico adjacebat, inter Locros Opuntios, Epicnemidios atque Phocenses antiquitus jam controversum procul dubio fuisse. Prioribus enim temporibus Phocidi, postea vero Locridi adnumeratam esse idem auctor tradit. Belli Trojani aetate Phocenses adhuc urbem tenuisse intelligi potest jam ex eo, quod Σχεδιεῖον h. e. Schedii Phocensium ducis monumentum ibi exstitisse narratur a Strabone (IX. p. 424. Casaub.) [32]). Omnino autem ab utroque populo portus ille vicissim occupatus fuisse videtur: atque antiquissimum de eo certamen jam illud a Scholiastis memoratum fortasse fuerat. — Praeter hoc de duobus tantum bellis inter Phocenses et Locros sequentibus temporibus gestis certa nobis traduntur: alterum est, cujus leviter mentio fit apud Diodorum Siculum (XII. 80.), alterum apud Xenophontem (Hellenic. III. 5. §. 3.), quorum prius in Olymp. XC. 3. (a. Chr. 418.), posterius in Olymp. XCVI.

---

[30]) Tzetz. ad Lycophr. v. 1073. Steph. Byz. v. Φωκίς.

[31]) IX. p. 416. et p. 424. Casaub. Priore loco dicit: „Ὁ γὰρ Δαφνοῦς ἦν τότε τῆς Φωκίδος: sicut Groskurd in Vers. Germ. (not. 1.) pro τῆς Λοκρίδος, quod alteri loco repugnat, scribendum recte docet. P. 424 enim tradit Strabo: Δαφνοῦς — ἦν δέ ποτε τῆς Φωκίδος πόλις ἁπτομένη τῆς Εὐβοϊκῆς θαλάσσης κ. τ. λ.

[32]) Schedii sepulcrum apud Anticyrenses repertum a Pausania, X. 36. §. 4.

1—2. (a. Chr. 395—96.) incidit: bella enim inter Phocenses et Thessalos, etsi imprimis circa Hyampolin gesta [33]), hac in re vix respicias. Illud bellum inter Phocenses et Locros (Opuntios vel Epicnemidios, quod quidem ob antiquas illas discordias verisimile est) gestum unde Diodorus depromserit, non liquet, cum nullus alius veterum scriptorum, ne Thucydides quidem, de eo quidquam referat: atque Diodorus ipse neque belli causas, neque singulas res gestas exponens, Phocenses proelio victores de Locris plus mille trucidasse tantummodo narrat. — In bello Peloponnesiaco utramque gentem Peloponnesiorum societati quidem addictam, at Phocenses tamen ad Athenienses clam propensos eaque de causa Locris infensos fuisse intelligi potest e Thucydide [34]). — De altero bello narrat Xenophon: Thebanos Locris Opuntiis persuasisse, ut ex agro inter Phocenses et Thebanos controverso pecunias penderent: mox Phocenses in Locridem irruentes pecuniam multo majorem iis ademisse: quibus e discordiis ortum esse scimus bellum, cui pugna illa ad Haliartum commissa finem imposuit, in qua Lysander occisus est [35]). —

Unum alterumve igitur horum bellorum ex aetate historicis monumentis illustrata in mythicam rejecerunt illi Scholiastae? Quod mihi quidem non persuasum est. Primum enim in utroque bello nulla prorsus mentio fit de Daphnunte inter Phocenses Locrosque controverso, quae urbs a Scholiaste Euripideo causa belli fuisse traditur. Tum in his duobus bellis Phocenses modo in universum, non soli Hyampolitae commemorantur. Deinde difficile est intellectu, cur Ornytum Sisyphi filium, ad fabulosa atque incerta Graecorum tempora omnino referendum cum recentioribus historiae rebus gestis conjunxerint Scholiastae? Ejusmodi enim temporum rerumque confusio hoc loco quidem valde insolita esset. Caeterum de illo antiquo bello, in quo Ornytus Hyampolitas adjuverit, jam antiquitus exstitisse traditionem non est quod dubitemus, imprimis cum vix credi possit, illam rem a Scholiastis prorsus fictam, sed ex auctoribus deperditis potius depromptam esse, cujus rei exempla apud omnes Scholiastas exstant creberrima. — Si duas denique ejusmodi res, secundum traditionem diversis temporibus gestas, etsi aliquatenus similes easdem omnino fuisse sine ulla dubitatione praedi-

---

33) De his cf. Herodot. VIII. 27. 28. Plutarch. Virtut. Mulier. T. II. p. 192. Tauchn. Paus. X. 1. Polyaen. Strateg. VI. 18, 2. Muell. Orchom. p. 415.

34) II. 32. cf. I. 108. — Thucyd. III. 95. —

35) Cf. Diod. XIV. 81. —

camus, difficultates, quae in iis discernendis dijudicandisque sese offerunt, facili quidem ratione tolluntur atque removentur, non firmis perspicuisque argumentis solvuntur atque expediuntur.

Sed jam revertamur ad Phocum nostrum. — Ex omnibus, quae supra commemoravimus, dubitationes quidem oriuntur, utrum duo illius nominis exstiterint, nec ne: factumque esse potest, ut posteriorum scriptorum errore unius viri nomen in duo viros translatum sit. Attamen quid de Scymni, Pausaniae, quid de Scholiastarum testimoniis ante allatis? Omnes enim in his quidem consentiunt: a Phoco Ornyti filio terram denominatam esse. Quorum recentissimus est Pausanias (secundo p. Chr. saeculo), auctor tamen profecto non contemnendus, praesertim cum omnia ipsius testimonia de utriusque Phoci origine, etsi singulis locis incolarum sermone ipsi fortasse tradita, ita inter se consentiant, ut fidem eo majorem iis habere possimus.

Attamen in his antiquissimis Graecorum rebus inquirendis dijudicandisque omnino meminisse oportet, nos in fabulosae neque certis historiae documentis illustratae aetatis regionibus versari, ubi oleum et operam perderemus, si ex illis discrepantibus traditionibus certam historiam componere conaremur. — Hoc tantum nulla dubitatione laborare videtur, secundum antiquas traditiones duo tyrannorum genera in Phocide usque ad belli Trojani tempora regnasse, quorum alterum a Sisypho, vel, cum hoc dubium sit, a Naubolo (cujus genus satis ignotum fuisse vidimus), alterum ab Aeaco originem duxerit: atque hujus sedem fuisse Crisam, illius Hyampolin posteaque Panopeum.

At praeterea de illa traditione, Crisum et Panopeum Phoci Aeacidae filios fuisse, non desunt, qui dubitaverint. Claverius enim, cum de Phoco per fratres (Telamonem et Peleum) occiso dixisset, ita pergit [36]): „Phocus était encore dans sa première jeunesse, et n'étoit jamais sorti d'Aegine; il est donc bien évident, que ce n'étoit pas de lui que la Phocide avoit pris son nom, mais bien de Phocus, fils d'Ornytion.“ Quam conjecturam refutare conatus est jam Siebelisius ad

---

[36]) Qua de re ipsa satis nota cf. poetas et mythographos praetereaque Pausaniam locis modo allatis: Plutarch. Parallel. §. 25. T. II. Tauchn. Tzetz. ad Lycophr. v. 175 et 901. — Adde etiam Ammian. Marcell. XXII. 16, qui narrat: „In Augustamnica (Aegypti provincia) Pelusium est oppidum nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit moenia, cum post interfectum fratrem nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur:“ quo ex loco intelligere possumus, traditionem de Phoci caede Peleique fuga longe lateque sparsam fuisse.

Paus. II. 29. §. 7, cum dicat: „Sed si in prima juventute Phocus est occisus, quomodo ei Pausanias §. 4. duos filios potuit tribuere (h. e. Crisum et Panopeum)? Clavierus hanc rem ita expediendam putavit, ut (Hist. d. prem. temps d. l. Gréce I. 62.) Crisum Panopeumque Phoci prioris, Ornytione nati filios diceret. Videmur autem probavisse, eos natos fuisse Phoco, Aeaci filio, et indidem genus repetivisse Epeum. Deinde qui Clavierus negare potuit, Phocum hunc Aeaci unquam reliquisse Aeginam, cum Pausanias X. 30., §. 2. contrarium tradiderit? quo ex loco discimus, Phocum e Phocide in Aeginam reversum a Peleo interfectum esse. Denique per eundem hunc Phocum Aeaci Phocidis nomen latius sparsum esse, Pausanias iterum testatur X. 1. init. et confirmant alii (Eustath. ad Iliad. II. 517. Schol. minor. et ad. Apollon. Rhod. I. 207.)". — Tum C. O. Muellerus in Aeginet. p. 23. Phoci caedem mythice quidem veram, historice falsam esse eamque ob rem aliud quid, quam hanc causam fuisse censet, cur Telamon ad Cychreum Salaminium, Peleus Phthiam ad Actorem fugere coacti sint. Caeterum Pausaniae (X. 30. §. 2.) narrationem, secundum quam Phocus e Phocide in Aeginam reversus sit et tum mortem oppetierit, Crisus autem et Panopeus filii post haec iterum in Phocidem redierint, nihili habendam esse judicat. Dubitatio immo et mihi injicitur, quomodo fieri potuerit, ut Phocus, cum sine dubio adolescens in patria domo a fratribus jam occisus sit, tamen in terram a se Phocidem postea dictam emigraverit duosque filios reliquerit: quam quidem utramque traditionem Pausanias, ut modo vidimus, conciliare studet. — Accedit ut (quod C. O. Muellerus jam observat: Aeginet. p. 23. not. t.) Phoci filius Panopeus (Apollod. II. 4. 7. §. 3.) cum Amphitruone, qui Peleo duabus aetatibus major est, contra Teleboas militasse dicatur: quae res de Panopei origine dubitationes quidem movet, etsi ejusmodi errores in temporum ratione constituenda non raro inveniantur, fabulosae aetatis traditiones si spectamus. An Apollodorus hunc Phocum Aeaci filium cum altero, Ornyti filio, fortasse confudit? — At in omnibus his perdifficile erit dictu, quid ad certam historiam, quid ad fabulas referendum sit: quare in iis, quae ab antiquis scriptoribus nobis traduntur de causa, cur Peleus et Telamon ex Aegina fugerint, acquiescendum esse censeo, cum omnes, quaecumque sint, conjecturae rei lucem afferre vix possint.

Sed de his jam satis. Nunc si revertimur ad illam traditionem, secundum quam Crisa originem nomenque duxerit a Criso tyranno, non possumus, quin hac

quoque in re deprehendamus Graecorum studium, quo singularum urbium origines nominaque ad fabulosae aetatis heroes referre solebant: atque haud dubie factum est saepenumero, ut nomen auctoris ex urbis nomine deduceretur. Exstat praeterea traditio, qua urbis Crisae primordia ad multo remotiora Graecae antiquitatis tempora revocanda esse videntur. Hymnus enim Homericus in Apollinem (inde a versu 391.) docet: viros Cretenses in mari Aegeo navigantes, Cnoso Minoio oriundos (*Κρῆτες ἀπὸ Κνωσοῦ Μινωΐου κ. τ. λ.* v. 393.) ab Apolline in delphinum mutato Crisam et Pytho (postea Delphos) ductos ibique sacrorum Delphicorum ministros institutos esse: quae res usque ad finem Hymni copiose narratur [37]). Idem tradit Hermippus apud Scholiasten ad Arati Phaenomena v. 316., quocum conferantur Plutarchus de sollertia animalium cap. 36. (Tauchn. Vol. V. p. 487.); Etymologicon magnum v. *Δελφίνιος*, ubi Apollo, delphino similis, navem, qua colonos Castalius quidam Cretensis emiserit, usque in Crisaeum sinum duxisse fertur: et Stephanus Byz. v. *Δελφοί*. — Qua ex narratione, quamvis poetarum fabulis exornata, hoc quidem pro certo colligi potest, colonos ex insula Creta profectos jam dudum ante belli Trojani tempora Crisae, vel potius Delphis consedisse Apollinisque Pythii sacris administrandis se dedicasse: qua de re praeter Hüllmannum (Anfänge d. griech. Gesch. p. 69—70.) praecipue C. O. Muellerus pluribus locis jam disputavit [38]). Cui rei praeterea argumento est, quod Delphorum sacraeque terrae incolae omnibus temporibus a reliquis Phocensibus discernebantur, neque ipsi Phocenses nominari volebant [39]), scilicet cum Creto-Doricae, non Aeolicae gentis essent. Caeterum Delphorum cum Creta priscis temporibus conjunctionem exstitisse monuit jam C. O. Muellerus (Aeginet, l. l.): ad quam referenda esse quoque videntur, quae Pausanias tradit, Apollinem Pythonis caede a Carmanore Cretensi purgatum esse [40]).

Tempus, quo Crisam Pythoque ducta sit illa colonia, certa quidem ratione constitui nequit: sed procul dubio Muelleri judicio (Orchom. p. 146.) res in-

---

37) Quomodo versus 388—96. disponi debeant, vide apud Matthiae Animadvers. ad Hymn. Hom. p. 181. seqq. — De Delphorum origine aliae traditiones inveniuntur ap. Paus. X. 6. §. 2—3.

38) Dorier I. p. 206; 209—11 Orchom. p. 146. seqq. Aeginet. p. 154.

39) Strab IX. p. 423. Casaub; Paus. IV. 34. §. 6.

40) Paus. II. 7. §. 7; 30. §. 3; X. 6. §. 3. De Pythiae quodam responso X. 7. §. 2. — Attamen ex his locis non id proprie sequitur, quod Hüllmannus (l. l.) dicit: „Dass Kreter, von denen der Delphische Priesterstaat gestiftet worden, zuweilen auf die mütterliche Insel gereiset sind.“

cidit in aetatem, qua Minoe II. imperante potestate maritima vigebant Cretenses, sive in initium saeculi decimi tertii a. Chr.; secundum Chronic. Parium (Ep. 19. Boeckh.) in annum 519. ante primam Olympiadem (a. Chr. 1295., anno 13. Aegei Atheniensium regis) [41].

Jam vero Hymnus ille Homericus urbis Crisae conditores fuisse Cretenses minime tradit: sed res narratur ita, ut urbem ipsam jam prius exstitisse intelligi possit. Nam singula verba haec sunt: v. 438: Ἷξον (i. e. Cretenses) δ' ἐς Κρίσην εὐδείελον, ἀμπελόεσσαν, ἐς λιμέν'. — Tum, cum Deus se navi in litus delatus esset v. 445: Πᾶσαν δὲ Κρίσην κάτεχεν σέλας, αἱ δ' ὀλόλυξαν Κρισαίων ἄλοχοι, καλλίζωνοί τε θύγατρες. — Deinde Deus Pytho atque in Parnassum montem ducit Cretenses v. 516: Οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο Κρῆτες πρὸς Πυθώ. — v. 250: Αἶψα δ' ἵκοντο Παρνησὸν κ. τ. λ. — Interrogantibus, unde ad vivendum necessaria sumerent, cum (v. 529): „Ista terra (h. e. regio circa Pytho in Parnassi jugis) neque tritici ferax neque pascuis idonea sit:“ respondit Deus v. 535—37:

> Δεξιτερῇ μάλ' ἕκαστος ἔχων ἐν χειρὶ μάχαιραν
> σφάζειν αἰεὶ μῆλα. τὰ δ' ἄφθονα πάντα παρέσται,
> ὅσσα ἐμοί κ' ἀγάγωσι περικλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων
> νηὸν δὲ προφύλαχθε κ. τ. λ.

Qua ex narratione Cretenses non Crisae, vel in campo Crisaeo εὐδαίμονι, sed Pytho atque in sterili montis regione consedisse liquet. — Plutarchus (l. l.) pariter narrat, Cretenses a delphino Cirrham quidem ductos esse, non urbem ipsam condidisse. -

Tempus igitur, quo orta sit Crisa, tenebris prorsus circumfusa latere videtur: at ipsius veram originem ad summam antiquitatem referendam esse nemo negabit, etsi ne unus quidem veterum scriptorum quidquam de ea tradiderit; — quod enim e loco mutilato Pausaniae (X. 37. §. 4.) [42]) derivare voluerunt nonnulli (ut Amasaeus in illius auctoris versione latina), urbem Cirrham a Cirrha nympha nomen accepisse, commemoratu vix dignum, cum nomen „Κίῤῥα“ e „Κρῖσα“ ortum sit [43]).

---

41) De Minois II. aetate diversa judicia et locos classicos vid. ap. Beckii W. u. Völk. Gesch. T. I. p. 887.

42) Nam inter verba: Λέγεται δὲ ἐς Κίῤῥαν — καὶ ἀπὸ τῆς Κίῤῥας τὸ ἐφ' ἡμῶν τεθῆναι τῷ χωρίῳ φασίν: — plura excidisse liquet, cum sensu prorsus careant. cf. Siebelis. ad h. l.

43) E Κρῖσα fit per metathesin Κίρσα, sicut καρδία e κραδία; Κίρσα, quod durum est, σ ejecto et ρ geminato per hyperthesin mutatur in Κίῤῥα, eadem ratione, qua πυῤῥὸς pro πυρσὸς, Τυῤῥηνὸς pro Τυρσηνὸς, Χεῤῥόνησος pro Χερσόνησος etc.; cf. Eustath. ad Iliad. II. 520; cujus autem argumenta, quibus illam nominis derivationem confirmare studet, prorsus inepta, cum dicat: Διὰ τὸ τὴν Κρῖσαν διπλάζουσαν κατὰ τοὺς νεωτέρους τὸ σ, Κίῤῥαν λέγεσθαι. Ut enim e Κρῖσα fiat Κίῤῥα, τὴν Κρῖσαν διπλάζειν τὸ σ nil juvat.

Quae cum ita sint, tamen opinio nobis excitari potest, Cretenses sive illo, sive alio quodam tempore Crisae, quae postea Crissa dicta, conditores fuisse, si ipsum urbis nomen respicimus, cui miram similitudinem cum *Κρής, Κρῆσσα, Κρήσιος* inesse nemo non videbit. At quis est, qui nesciat, valde incerta dubiaque esse argumenta historica, quae sola nominum similitudine nitantur, neque aliis insuper gravioribus rationibus firmentur? Haecce igitur conjectura in medio relinquitor, ne in labyrinthicos Etymologorum quorundam errores incidamus.

Haec de urbis Crisae origine. — De sequente urbis historia usque ad tempora primi belli sacri, quo celebritatem sibi ipsi perniciosam nacta est, ab auctoribus antiquis perpauca incertaque nobis traduntur: attamen urbem sicuti omnes fere reliquas civitates Graecas prioribus temporibus sub tyrannorum potestate fuisse constat. Nam urbis nomen a Criso tyranno ortum esse traditur: tum ipsius filius Strophius, apud quem secundum traditionem valde divulgatam Orestes versatus esse dicitur, procul dubio Crisae imperavit [44]). Strophii filius Pylades utrum patris imperium acceperit, ignoramus: neque plura scimus de duobus Pyladis filiis ex Electra Orestis sorore natis, Medeone (quem Medeonis Phocicae urbis conditorem fuisse tradunt) et Strophio II. [45]): Pausanias enim ultimos ex Aeaci stirpe oriundos domo profugos alio commigrasse tradit, quod ante jam memoravimus. — Strophius igitur ultimus Crisae tyrannus ex Aeaci genere fuisse videtur. —

Inter Crisae et Panopei (Phanotei) urbis Phocicae tyrannos veteres inimicitias exstitisse cum ex antiqua fabulosa traditione constat, quae docet, fratres illos Crisum et Panopeum (qui auctor atque *ἥρως ἐπώνυμος* urbis Panopei sive Phanotei fuisse fertur) in matris utero jam altercatos esse (cf. initium commentationis nostrae): tum imprimis ex eo, quod Crisi filius Strophius, et nepos Pylades Agamem-

---

[44]) De Strophio cf. Pind. Pyth. XI. v. 35. seqq. qui *Στρόφιον Παρνασοῦ πόδα ναίοντα* dicit i. e. Pytho vel Crisam. vid. Scholiast. ad. h. l. Aeschyl. Agam. v. 880. Schol. ad. Sophocl. Electr. v. 42; v. 1111. — De Oreste a Strophio educato: Eurip. Iphig. Taur. v. 917—18. Orest. v. 1403. cf. Méziriac l. l. etc. — Homerus Orestem non e Phocide, sed Athenis venisse Mycenas ad patrem ulciscendum tradit, Odyss. III. v. 306. seqq. nam Scholiastae ad h. l. dicunt, recentiores (h. e. Pindarum, Tragicos etc.) Orestem apud Strophium Phocensem enutritum esse: quamobrem Zenodotus pro *ἂψ Ἀθηνάων* (ut in nostris editionibus legitur), *ἀπὸ Φωκήων* scripserit. Aliud Scholion tradit: *Ἐκεῖ* (i. e. apud Phocenses) *γὰρ κατῴκει ὁ Στρόφιος, εἰς ὃν ἀνετρέφετο Ὀρέστης κατὰ νεωτέρους. ἐπαιδεύετο δὲ ἐν Ἀθήναις.* — Traditionem, quam Homerus secutus sit, antiquiorem esse, quis dubitet? Dubium igitur foret, utrum Strophius Crisae habitaverit, an Athenis. Qua de re cf. a G. Hermanno disputata, Ephemerid. Vindobonens. Vol. 65. 1834. p. 149. seqq. —

[45]) Hellanicus ap. Paus. II. 16. §. 5. cf. Muell. Orchom. p. 69. Pyladem Apolline ipso jubente uxorem duxisse Electram, constat ex Eurip. Orest. v. 1658.

nonis domui amicissimi fuisse a poetis narrantur. Clytaemnestra e contrario Aegisthusque socios (*δορυξένους*) sibi adsciscere student e Panopei genere Crisaeis infenso (cf. Sophocl. Electr. v. 45. 660.): qua de re adeas ea, quae C. O. Muellerus disputavit in Ephemeridibus Götting. 1831. No. 101: quibuscum conferenda sunt a G. Hermanno docte atque ingeniose adnotata (l. l. in fine not. 44.).

Deinde invenimus D a u l i u m quendam Crisae tyrannum, quem Ephorus apud Strabonem VI. p. 265. (Casaub.) Metapontum in Italia condidisse tradit. Non autem tunc primum conditum Metapontum, sed antiquissimis belli Trojani temporibus fundatum fertur ab E p e o Panopei filio (cf. ante not. 22.). Caeterum de hujus urbis origine alias traditiones maxime diversas invenies apud Strabonem aliosque scriptores [46]), quae ad nostram commentationem non pertinent. Daulius ille, ut verisimile est, Daulide Phocidis oriundus, coloniam in illas Italiae regiones fortasse duxit [47]) urbemque Metapontum instauravit, postquam a Samnitibus deleta erat, quod factum esse refert Antiochus apud Strabonem (l. l.) — Jam vero de tempore, quonam vixerit ille Daulius, nihil scimus: equidem igitur non intelligo, quo jure Marxius ad Ephorum p. 158. suspicari potuerit, Metapontum a Daulio illo restauratum esse Olymp. LXXXIII; nam Crisa Olymp. XLVII. 3. jam deleta, Crisaeorumque terra Delphico agro adjecta, ea aetate, quam Marxius indicat, de C r i s a e u r b i s t y r a n n o non amplius agi potuit [48]).

Hesychius denique de Crisaeorum tyrannis mentionem facit, quos *Κρακαλίδας* (vid. h. v.) vocat. Non dubito, quin hoc nomen sit idem ac *Κραυγαλλίδαι, Κραναλλίδαι:* vel *Ἀκραγαλλίδαι*, ut apud Aeschinem adv. Ctesiphontem p. 142. et 143. (Weigel.) scriptum invenitur. Ab hoc hominum genere (de quo pluribus alio loco nobis disputandum erit) nonnulli Crisaeorum tyranni originem fortasse duxerunt: at dolendum est, in hac quoque re omnibus certis argumentis nos carere. —

Quousque Crisaeorum civitas tyrannorum imperio subjecta fuerit, non constat: sed belli primi sacri temporibus libertate jam usam esse, veri simillimum est.

Attamen ne arctiores hujus dissertationis fines transgrediamur, reliquis, quae ad Crisae historiam spectant, omissis, quaestionem illam inter Viros doctos jam

---

[46]) Interprett. ad. Vellej. I. l. Scymn. Chius v. 326. Etymol. Magn. v. *Μεταπόντιος;* Eustath. ad. Dionys. Perieg. v. 368. Steph. Byz. v. *Μεταπ.* —

[47]) Cf. Muell. Dorier I. p. 264.

[48]) Wachsmuth (Hellen. Alterthumskunde I. 1. p. 276.) hunc Daulium perperam vocat D a u l i d e m, eundemque fuisse censet atque A u l i n, quem Plutarch. de Malignit. Herodot. cap. 21. (Tauchn. T. V.) a Phocensibus expulsum esse tradit.

dudum controversam examinare tantummodo conabimur, utrum diversae fuerint *Κρῖσα* (*Κρίσσα*) et *Κίῤῥα*, an non.

Antiquissimis temporibus unam tantum illius nominis urbem exstitisse, ex Homero jam intelligi potest, apud quem (locis ante memoratis) modo „*Κρῖσα*“ praetereaque nomen Adjectivum „*Κρισαῖος*“ invenitur. — Pariter Sophocles habet „*τὰν Κρῖσαν*“ (Electr. v. 180: ubi vero Scholiastae „*Κρισαίαν*“ h. e. regionem legisse videntur) et „*Κρισαῖον πέδον*“ (v. 730): neque ullam duarum urbium mentionem facit. — Apud Herodotum (VIII. 32.) semel tantum „*Κρισαῖον πεδίον*“ memoratum invenimus, quod ad nostram quaestionem decernendam nil juvat. — Pindarus utroque nomine jam utitur, „*Κρῖσα*“ et „*Κίῤῥα*“: verumtamen duas urbes non distinguit [49]). — Eadem urbs vocatur et *Κρίσσα*, eodem modo, ut ex antiquiore forma „*Κηφισὸς, Παρνησὸς*“ ortum est: „*Κηφισσὸς, Παρνασσὸς*“ (cf. not. 43.): plurimique reliquorum scriptorum duo nomina „*Κρίσσα*“ et „*Κίῤῥα*“ usurpant, unam eandemque urbem significantes. Nam apud Thucydidem — ut ab hoc incipiamus — invenitur „*Κρισαῖος κόλπος*“; apud Aeschinem scribitur: *τὸ Κιῤῥαῖον πεδίον* et *Κιῤῥαῖοι*; Demosthenes habet: „*ἡ Κιῤῥαία χώρα*“ et “*Κιῤῥαῖοι*;“ Polybius „*Κίῤῥα*“ [50]). In versibus, qui Dicaearcho tribuuntur, „*Κρισσαῖον πεδίον*“ et „*Κίῤῥαν*“ conjuncta invenimus [51]). In Chronico Pario (Ep. 37. Boeckh.) una urbs „*Κύῤῥα*“ memoratur: ita et Ptolemaeus nonnullique auctores Romani hoc nomen scribunt; apud Scylacem legitur: *Κιῤῥαῖον πεδίον* [52]). Apud Diodorum Siculum bis tantum hujus regionis mentio fit: „*Κρισαῖος κόλπος*“ et „*χώρας Κιῤῥαίας*“ [53]). Nicolaus Damascenus Lycurgum Crisae mortem sibi conscivisse tradit: Plutarchus Cirrhae, qui „*Κιῤῥαίους ὑβρίζοντας εἰς τὸ μαντεῖον*“ — alisque locis „*Κίῤῥα*“ scribit [54]). Pausanias aperte dicit, *Κίῤῥαν* eandem esse, quae a Homero *Κρίσσα* nominata sit, praetereaque semper „*Κίῤῥαν*“ Delphorum navale vo-

---

49) Pind. Isthm. II. 18; Pyth. VI. 18. Boeckh. Explicatt. ad. Pind. Pyth. V. 37. Cf. Hypothes. ad Pind. Pyth. ibique versus ab Euphorione memoratos etc.

50) Thucyd. I. 107; Aeschin. adv. Ctesiph. pag. 142 (Weigel. ed.); Demosth. pro Corona p. 277. 278. Reisk. Polyb. V. 27.

51) *Ἀναγραφὴ* v. 73; quem ad loc. cf. Buttmannum in Programmate Schol. Portens. 1832.

52) Ptolem. Geogr. III. c. 15. — Cyrrha ap. Stat. Thebaid. VII. v. 347, quos versus cf. cum iis, quae adnotavit Oberlin. ad Vibium Sequestr. p. 351. Lutatius enim ad Stat. Cyrrham unum ex Parnassi jugis vocat. — Scylac. Peripl. p. 32. (Lugd. Bat. 1700): pro *Κουραῖον* enim *Κιῤῥαῖον* scribendum esse Palmer. jam docuit.

53) XII. 47; XVI. 23.

54) Nicol. Damasc. ed. Orellius p. 45; Plutarch. Lycurg. cap. 31. (Weigel.); Solon cap. 11. (Weigel.); ejusd. Quaest. Hellen. §. 13. (T. II. Tauchn.); Numa cap. 4.

cat [55]). Polyaenus narratiunculas duas de Cirrha et Cirrhaeis tradit (*Κίῤῥα, Κιῤῥαῖοι*), attamen duas urbes non distinguit: quocum consentit Callisthenes apud Athenaeum; habet enim: „*Κρισσαϊκὸς* (quod *Κρισσαῖος* scribendum) *πόλεμος, Κιῤῥαῖοι* et *Κίῤῥα*" [56]). Antoninus Liberalis antiquissimo urbis nomine utitur „*Κρῖσα*." Lucianus recentiore forma „*Κίῤῥα*;" a Heliodoro scribitur „*Κίῤῥα*" et „*Κρισσαῖος κόλπος*"; [57]) a Helladio apud Photium itidem „*Κίῤῥα*" [58]). — Veteres Lexicographi unius modo urbis mentionem faciunt „*Κίῤῥα*" sive „*Κρῖσα*" [59]): idemque invenitur apud Scholiastas Pindari [60]). — Longum horum scriptorum agmen claudat Thessalus, Hippocratis filius, cujus belli primi sacri descriptio, si genuina esset, gravissimae auctoritatis foret: in ejus „*λόγῳ πρεσβευτικῷ*" invenimus: „*Κρισαῖον ἔθνος, Κρισαῖον πεδίον* et *Κρισαῖοι*" [61]).

E scriptoribus Romanis Livius, Pomponius Mela, Justinus et Frontinus unam tantummodo urbem Cirrham commemorant [62]).

Diversas Crisam et Cirrham fuisse tradunt Strabo, Ptolemaeus et Plinius Major; Strabonis, geographorum principis, testimonium accuratius examinandum est. Apud eum duo imprimis loci inveniuntur, ubi de hac re agit [63]). Priore loco haec dicit: „*Ὑποπέπτωκε δὲ τῇ Κίρφει πόλις ἀρχαία Κίῤῥα, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἱδρυμένη, ἀφ' ἧς ἀνάβασις εἰς Δελφοὺς ὀγδοήκοντά που σταδίων·* (rectius 60 stadia, ut Pausan. refert; cf. initium commentationis) *ἵδρυται δ' ἀπαντικρὺ Σικυῶνος. Προςκεῖται δὲ τῇ Κίῤῥᾳ τὸ Κρισσαῖον πεδίον εὔδαιμον. Πάλιν δ' ἐφεξῆς ἐστιν ἄλλη πόλις, Κρίσσα, ἀφ' ἧς ὁ κόλπος Κρισσαῖος. εἶτα Ἀντικίῤῥα κ. τ. λ.*" — Mox altero loco pergitur ita: „*Ἀντικίῤῥα μὲν οὖν συμμένει· ἡ δὲ Κίῤῥα καὶ ἡ Κρίσσα κατεσπάσθησαν, ἡ μὲν πρότερον ὑπὸ Κρισσαίων· αὕτη δὲ ἡ Κρίσσα ὕστερον ὑπ' Εὐρυλόχου τοῦ Θετταλοῦ κατὰ τὸν Κρισσαῖον πόλεμον κ. τ λ.*" Attamen in his locis comparatis deprehen-

---

55) Paus. X. 37. §. 4; cf. ad h. l. not. 42. — Ejusd. II. 9. §. 6: ubi vulgata lectio est „*πρὸς Σκίρωνα:*" quae nullo modo explicari potest. Emendatio igitur „*Κίῤῥαν*" sensui aptissima est, cum Pausan. hoc loco de Clisthene Sicyoniorum tyranno loquatur, qui in bello Cirrhaeo Amphictyones adjuvarit.

56) Polyaen. Strateg. III. 5; VI. 15; ad priorem locum cf. Blume Observ. crit. in Polyaen. Sundiae 1824. p. 12. seqq. Athen. XIII. p. 560. c; cf. IX. p. 390. b.

57) Antonin. Liberal. Metam. fab. VIII; Lucian. Phalar. II. §. 4; Heliod. Aethiop. II. c. 26 (Coray. p. 90). —

58) Hellad. ap. Phot. Biblioth. ed. Bekk. p. 533. b.

59) Etymol. M. v. *Κρῖσα.* Auctor contra Leocrinem quendam contendit, non duas illius nominis urbes exstitisse. — Suid. v. *Σόλων* et *Κραναλλίδαι.* Hesych. v. *Κραχαλλίδαι.* Harpocrat. v. *Κραναλλίδαι* et *Κιῤῥαῖον πεδ.* Phavorin. Lex. ed. Basil. 1538 p. 1057—58 et p. 1112, qui e Strabone et Eustath. exscripsit.

60) Ad Nem. IX. v. 2; Pyth. V. 13; IX. 23; X. 15 et 21. Isthm. II. 26. — Cf. Eustath. ad Iliad. II. 520. —

61) Hippocrat. Opp. ed. Foes. Frcf. 1595. Sect. VIII. p. 24. seqq. —

62) Liv. XLII. 11, 15. Pomp. Mela III. 2. §. 10. Frontin. Strateg. III. 6. §. 7. Justin. XXIV. 1. §. 4. Cf. Martial. I. 77.

63) IX. p. 418. Casaub. (Tschucke p. 495 — 499).

denda sunt haec: Primum Strabo Cirrham Crissa sive Crisa antiquiorem fuisse censet, quod omnibus testimoniis ante allatis repugnat praetereaque refutatur jam eo, quod nomen „Cirrha" e „Crisa" ortum est (vid. not. 43.). Tum priore loco narrat, duas jam urbes, Cirrham et Crissam exstare: in sequentibus autem tradit, Cirrha et Crissa deleta, Anticirrham tantummodo superesse, cum e Pausania aliisque scriptoribus Cirrham Delphorum navale posterioribus etiam temporibus fuisse probe sciamus [64]). Deinde dicit Cirrham, quam Crissa antiquiorem esse perperam affirmaverat, prius a Crissaeis, Crissam vero postea ab Eurylocho Thessalo dirutam esse in bello Crissaeo. At de illo bello, quo Cirrha a Crissaeis deleta sit, nemo veterum scriptorum quidquam tradit: hoc autem Eurylocho duce gestum idem est, quod primum sacrum appellatur [65]). Omnia denique haec Strabonis verba secum pugnare confusioneque laborare, quis non intelligat? Corruptum esse utrumque locum verisimillimum est: attamen valde dubito fore, ut nulla vi adhibita iis mederi possimus [66]). Minime quidem hoc Strabonis, quamvis gravissimi auctoris testimonium confirmare potest, duas diversas illius nominis urbes eadem aetate exstitisse. — Jam vero cum Plinius et Ptolemaeus [67]) eosdem auctores, quos Strabo, vel fortasse ipsum Strabonem secuti esse videantur, horum quoque tesimonia exigui tantum momenti esse liquet.

Eo magis mirandum est, quod tamen non pauci nostri temporis Viri docti illam Strabonis sententiam adhuc conprobant; v. c. Palmerius, Cluverus, Cellarius, Valesius (de Valois), Mannertus, Heynius, F. A. Wolfius, atque inter recentissimos Krusius et Clintonus [68]): alii in contrariam partem jam discesserunt, ut Gedoynus, D'Anvillius, Claverius, Beckius, Bredowius, Boeckhius, Wachsmuthius imprimisque C. O Muellerus [69]). Dodwellus in Itinerario quidem dicit, Crissam nunc

[64]) Paus. X. 37. §. 4 et §. 6. etc. Polyb. V. 27: „κατὰ Κίῤῥαν τόπων."

[65]) Cf. C. O. Mueller. Orchom. p. 495. Palmer. Exercitatt. in Auct. Graec. p. 319.

[66]) Vid. Not. critt. ad. h. l. in Tschuckii editione et Groskurdii versione German. (T. II. p. 186).

[67]) Plin. H. N. IV. 4 (3); Ptolem. Geogr. l. l. In Catalogo scriptorum, quibus usus est Plinius (vid. H. N. Lib. I.), nulla quidem Strabonis fit mentio.

[68]) Palmer. Graec. Descript. VI. 3; Cluv. Introd. in univers. Geogr. p. 377. (Guelferb. 1661); Cellar. Notit. O. A. I. p. 907 ed. Schwarz. Vales. (de Valois) in Hist. Acad. Reg. Inscript. Vol. V. p. 62. seqq; Vol. VII. p. 202; Mannert Geogr. Gr. et. Roman. T. VIII. p. 148 seqq; Heyne ad Homer. Hymn. in Apoll. Pyth. v. 31; Wolf. Geogr. Graec. p. 4; Krusii Hellas T. II. 2. p. 47 seqq; Clintoni Fast. Hellen. p. 207—8 ed. Kruegeri. — Cf. Tschucke ad Melam III. 2. §. 10.

[69]) Gedoyn. ap. Vales. in Hist. Acad. Reg. Inscript. Vol. V. p. 62 seqq; D'Anville Geogr. anc. abrég. T. I. p. 256; Claver. Hist. d. prém. tems d. l. Grèce T. II. p. 320 seqq; Beckii W. u. Völk. Gesch. T. I. p. 851 (nov. edit.); Bredow. Hist. antiqua p. 301; Wachsmuth. Hellen. Alterthumskunde T. I. 1. p. 9; Boeckh. Explicatt. ad Pind. Pyth. V. 37; C. O. Mueller Orchom. p. 495.

Crisso nominari (cf. Meletium in *Γεωγρ. παλαιὰ κ. νέα* T. II. p. 313. Venet. 1807.), atque in planitie sitam esse, quae olim Crissaeus campus nominatus sit; Cirrhae vero ruinas ab illo pago duas horas distantes (hodie Xeropegadi) mari adjacere, quas ipse tamen non viderit. At Gellius Britannus, peregrinatorum accuratissimus, has ipse visitavit, ut jam initio diximus: atque ille pagus Crisso recentioribus temporibus ortus prope eum locum, ubi olim hippodromus Pythicus fuerat (vid. not. 8. initio commentationis), nomen procul dubio obtinuit a veteris Crisae vicinitate. — Chandlerus in Itinerario unius tantum urbis Cirrhae mentionem facit [70]).

Quibus denique omnibus in summam redactis haec nobis patere videntur. 1) Eadem aetate una tantummodo urbs Crisa (Crissa) sive Cirrha antiquitus exstitit. 2) Antiquissimum urbis nomen erat Crisa, quare haec potissimum ejus forma apud poëtas mythographosque invenitur; sequentibus vero temporibus nomine „*Κρῖσα*" in „*Κίῤῥα*" mutato, campus, qui urbi adjacebat, vetus nomen „*Κρισαῖον πεδίον*", mareque vel sinus nomen „*Κρισαῖον πέλαγος*" sive „*Κρισαῖος κόλπος*" retinuit [71]). 3) Vetere tamen Crisa bello primo sacro diruta, recens oppidum Cirrha sensim ortum est, quod Delphorum navale Romanorum Imperatorum etiam temporibus fuisse jam intelleximus.

Controversiae de hac re ortae vix alia ratione dirimi posse videntur.

---

70) Dodwell. Itiner. T. I. l. p. 215 seqq; cf. Pouqueville Voy. en Grèce T. IV. p. 47; ubi de pago „Crisso" agitur. Chandler. Itiner. Graec. c. 69. (vers. Germ. p. 386).

71) Romanorum Imperatorum aetate antiquum nomen „*Κρῖσα*" fortasse in usum rursus venerat: quod intelligi potest e nummo Neronis, a Raschio in Lexic. Rei Nummariae T. II. p. 1077. memorato, cui inscriptum est:

Κ Ρ Ι Σ Α Ι Ω Ν Ν Ε Ω Κ Ο Ρ Ω Ν.

(De voce *Νεωκόρος* cf. Schneid. Lex. Gr.): qui nummus praeterea probat, illud Delphorum navale illa aetate exigui momenti minime fuisse. — Urbem denique extremis imperii Romani temporibus denuo Crissam nominatam fuisse, e nomine hodierni pagi „Crisso" patere videtur, quem memorat jam Benjamin Tudelensis in Itinerario suo (Lugd. Bat. 1633); duodecimo enim saeculo in pago לקירש, qui est procul dubio idem atque Crisso, ad Parnassum sito 200 Judaeos habitantes invenit; cf. Zinkeisen Gesch. Griechenlands T. I. p. 799. — At Crisso non eo loco, quo vetus Crisa, sed prope eam regionem, in qua Hippodromus Pythius olim fuerit, conditum esse jam ante memoravimus. — Ad haec addere nobis liceat verba ex Inscriptione Delphis reperta, a Boeckhio edita in Corp. Inscript. Graec. Vol. I. p. 832. No. 1709:

Κ Ρ Υ Σ Σ Α Α (Π) Ε Δ Ο Τ Ο.

Hunc scribendi modum ex errato fortasse ejus, qui titulum transcripserit, ortum esse censet Boeckhius, atque legendum: *Κρῖσσα*. Procul dubio de anathemate Deo Delphico ~~offerto~~ oblato hoc in titulo agitur: Boeckhius tamen non dubitat, quin ad veteris Crisae tempora non pertineat, cum literarum forma seram aetatem jam spectet. — Verisimile igitur est, ex Imperatorum Romanorum temporibus originem ducere Inscriptionem: quod et ipsum jam argumento foret, antiquum nomen Crissam ea aetate rursus in usu fuisse. —

